



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Bona Volvntas Optimæ Consentiens. Seu De Sequendo In Omnibus Ductu Providentiæ Diviniæ**

**Foullon, Jean E.**

**Leodii, 1657**

Die S. Silvestri.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54992](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54992)



Ex ipsius gratia orta bona voluntas, ad eum revertatur, ut iterum fluat. Ita nobis erit Christus non in ruinam, sed in Resurrectionem.

## DIE S. SILVESTRI.

**T**H E M A. *Beati servi illi, quos cum venerit Dominus invenerit vigilantes. Luc. 12.*

Parabolas binas exhibet Evangelium, eodem fine utramque, ut doceamur esse parati ad mortem. Nescimus certè an sequentem annum, etsi tantillo tempore à nobis distet, visuri simus. Opto tamen in antecessum cum votis optimis, &c. Videmus fuisse vigilantem S. Silvestrum.

**A V E.**

Si quæ res est, in qua debemus esse Resignati. Indifferentes, Fiducia pleri, quæ Officia numeravimus bonæ voluntatis, ea est mors nostra, quam nescimus quando Deus nobis assignârit. Pendeamus igitur in futurum à Dei voluntate; qui vitæ nostræ posuit terminos, qui præteriri non poterunt; permittamus nos ejus Providentiæ, & resignemus, quando nos mori volet: & ut facilius utrumque illud faciamus, fidamus Deo, speremusque futurum, ut mors non accidat nobis, nisi ad bonum nostrum. Ne tamen fiducia nostra malè fundata sit, & evadat in præsumptionem, demus operam, ut benè ordinemus vitam nostram, & noctis hujus vigiliis diligenter agamus. *Beati enim servi, &c.* Exemplum nobis proponitur in D. Silvestro. Vigiliis quatuor



quatuor noctis olim fuisse constat, suntque etiam hodie apud plerosque. Nox vita nostra est, præ die æternitatis: quatuor ejus vigiliæ Juventus, Virilitas, Senectus, Ætas decrepita, et si alii aliter partiuntur. Pueritiam non numero, quia vix vigilia est, dormit plerumque ratio. In Juventute complector adolescentiam. Virilitas maturos cogitando & agendo annos, in vegeto adhuc corpore, comprehendit. Senectus in declivi est, affectis jam viribus, sed nondum abjectis. Decrepitam ætatem voco, quæ Psalmistæ vocatur *labor, & dolor*.

Prima vigilia Silvestri acta sub Cyrillo Presbytero, & qualiter. Olim soliti se dare in disciplinam virorum proborum: Origenes puer Clementi traditus: Gregorius Thaumaturgus Origeni: Martinus Hilario &c. Quid jam agendum.

Alterâ vigiliâ, fit Sacerdos. Quanti gradus ille faciendus: quomodò fierent olim impulsu populi, uti Paullinus, Augustinus &c.

Tertiâ, Pontificatus Maximus. Miracula ab eo patrata possunt per præteritionem narrari ex Baronio. Vera Sanctitas in operibus. Duo stringo, Arii condemnationem, Constantini conversionem. Per hanc dici potest S. Silvester Apostolus totius orbis, sicut S. Remigius dicitur Apostolus Franciæ ob Regem Clodovæum conversum.

Quartam vigiliam non attigit S. Silvester. Neque interest quando moriaris, dum benè.

Qui



Qui primâ vigiliâ deprehenduntur vigiles, æquè audiunt *Beati*, atque qui quartâ. Somnus peccati vitandus omnibus, omni ætate: quia nescimus, quâ horâ venturus sit Dominus. *Omni- bus dico, Vigilate, Videte vobis, & providete in futurum, ut & vobis provideat Deus.*

## DIE CIRCUMCISIONIS.

**T**HEMA. *Postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer, vocatum est nomen ejus IESVS. Luc. 2.*

Post vota fælucis anni, ut solet, præmissa, dicatur non sufficere optari bonum annum, sed discendum modum eum habendi, quod jam fiet.

A V E.

Si quæremus, quis optimus vitæ nostræ annus, alii aliter respondebunt, pro genio suo & affectu. Christiano optimus ille est, qui maxime de bona æternitate participat, eò tendit, Æternitati pingit, laborat: Agit, Abstinet, Sustinet. Huc refer procerum numerum tertium & quartum. Ut benè agamus, sumamus nomen **J E S U**: ut abstinemus, cultrum circumcisionis: ut sustineamus, lacrymas & Sanguinem Christi circumcisi.

*Omnia in nomine Domini IESV*, bonas actiones, imò & indifferentes, &c. Vide hac de re Chrysostrum Oratione habita Calendis, ad illud *Omnia in gloriam Dei facite*. Flores inscripti nomina Regum, aut potius Regis Regum, nascun-